

CLODOMIRVS SICAMBRO RVM REX.



CLodomirus magna corporis & animi fortitudine apud Sicambros insignis extitit. Itaque Rege Antenore fato functo ipse omnium consensu eius gentis Rex electus fuit, Anno creationis mundi ter millesimo octingentesimo vicesimo secundo. Is ergo cum exercitu Gallos adortus victor extitit, atque hostes ingenti clade affecit. Hinc factum ut regni sui terminos versus occidentem plurimum promouerit, & apud omnes in maxima auctoritate fuerit. Cum hoc modo Sicambros per annos viginti administrasset, magno omnium dolore obiit, & Merodachum filium successorem accepit. Trit. in Francorum historia.